Universitätsbibliothek Paderborn

# Defensio Regie || assert[i]o[n]is co[n]tra Ba||bylonicam captiuitate[m]

Fisher, John

Coloniæ, 1525

VD16 F 1226

Capvt Sextvm. Missam recte sarificium & opus ab orthodoxis uocari.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30480

Visual Library

Miſſa non eſt promiſſio remiſſionis peccatorum

mortis Chr̄i. Aliqñ uero ſcribit miſſam eẽ promiſſionẽ remiſſionis peccatoꝝ, & ob id, ꝙ dixerit Chrũs, hic eſt ſanguis qui pro uobis effundet in remiſſionẽ peccatoꝝ. Sed neqꝫ magis ualidũ iſtud eſt. Nã ſi Chrũs (uti Lutherus ait) mortẽ ſuã teſtatus ẽ, quũ dixerit, hic ẽ ſanguis q pro uobis effundet. Et ex hoc pendeat adiuncta particula. In remiſſionẽ peccatoꝝ, Palã eſt ob effuſionẽ ſanguinis, & nõ ob eius potationẽ, ꝓmiſſã eẽ remiſſionẽ peccatoꝝ. Non ẽ igit miſſa promiſſio remiſſionis peccatoꝝ, qñ non ob ſumptionẽ corporis & ſanguinis in miſſa, ſed ob eius effuſionẽ, quæ iã olim in cruce facta fuit, remiſſio peccatoꝝ promittebatur. Et hæc opinio ſufficient, ne miſſa nouum teſtamentum credatur.

## ¶ Miſſam recte ſacrificium & opus ab orthodoxis uocari. Cap. VI.

.I.

Lu. nõ probauit miſſam eẽ teſtamentum.

QVando igit abunde ſatis cõſtitit, miſſam haudquaq̃ teſtamentũ eẽ, iam ſexto loco diſquirem9, nũ queat ipſa, ſacrificiũ & opus dici? Nã iſtud et pertinaciſſime quidẽ Lutherus negat, inuincibili (ſi quis homini credat) argumẽtatione ductus, nimirꝫ hac. Probaui (inquit) ex uerbis Chr̄i miſſam eẽ teſtamentũ & promiſſionem, ideo nõ poſſe opus & ſacrificiũ dici. In hoc ariete Luther9 ita ſpem oẽm repoſuit, ut ip̄m, robur ſuum principale, ſimul & argumentũ capitale iactitare non uereatur. At quam imbecillum ſit hoc argumentum capitale, q̃qꝫ mutabundum fuerit hoc principale robur; nemo non perſpicit, opinor, qui ſuperiora nequaquam ſomniculoſe perlegerit. Nam ex illis apertiſſimum eſt, nondum ex uerbis Chriſti conſtare, miſſam teſtamentum eẽ. Nuſquã enim Chrũs miſſam, teſtamentũ uocat. Nec iſtud hactenus oſtendit Luther9 ex ullis uerbis Chr̄i, quæ id plane doceant. Falſum eſt ergo, ꝙ probauerit ex uerbis Chr̄i, miſſam eſſe teſtamentũ & promiſſionẽ. Quãobrẽ, quũ nos hoc fundamentũ radicitus euulſerimus, par eſt, ut reliquã ſtructurã penitus corruiſſe neutiquã ambigamus, adeo ut iã nihil opus erit pluribus hoc negociũ perſequi, quũ idipſum (de quo Lutherus unice confidebat, ita

ſuſtulerimus, ut cunctis(opinor)perſpicuũ ſit, id iã nihil habe-
re ſolidæ ueritatis. Quocirca nihil deinceps a nobis iure quiſ-

Ab eccl̃ia ap-
probata nõ o-
portet rurſum
rõnib⁹ fulcire

q̃ exigere poteſt, quũ aperte ſatis euerſum ſit Lutheri funda-
mentũ. Sed neq; tenemur aduerſus hæreticũ, argumẽtis ea ſta-
tuere, q̃ cõmunis eccleſię cõſuetudo tot annoꝝ cẽtenarios ap-
probauerit, quin hæretico potius incũbit, aut pro ſua parte ra-
tiones uſq; adeo ualidas in mediũ adducere, q̃ prorſus a nemi-

Intentio au-
thoris.

ne reuinci queant, aut eueſtigio dare manus orthodoxis. No-
bis ergo plus q̃ ſatis fuerit, ſi docuerimus ab initio naſcẽtis ec-
cleſiæ miſſam pro ſacrificio fuiſſe receptã, atq; ab antiquiſſi-
mis illis p̃rib⁹ nimiꝝ ſanctiſſimis, & illuminatiſſimis uiris, uti
ſupremũ eccleſiæ ſacrificiũ uſurpatã. Quod (opinor) abũde
præſtabimus. Neq; tñ iſtud ſolũ faciemus, uerũetiã idipſum
oñdemus eſſe ſcripturis & rõnibus maxime conſentaneum.

Argumẽtũ a
ſola cõſuetu-
dine

Certe ſi nihil aliud pro nr̃a parte ſtaret, q̃ longæua cõſuetudo
& ea quidẽ a primis eccleſiæ incunabilis, ipſa ſufficeret, quum
nõ ſit ueriſimile ſpm̃ ſanctũ qui ꝑpetuus eccleſiæ datus eſt in-
ſtructor, tãdiu fuiſſe paſſum totã ipſam eccleſiã errare in re tã
neceſſaria cũ tanto ſuaꝝ animaꝝ diſcrimine. Quantã aũt uim
habeat antiqua cõſuetudo, nõ ſolũ ex his q̃ aduerſus articulos
Lutheri diſſeruimus conſtare p̃t, uerũetiã ex authore uetuſtiſ-
ſimo, nẽpe Tertuliano, q libro de corona militis multa colle-
git, q̃ nulla ſcriptura, ſ; cõſuetudine, ſuũ robur obtinẽt. Quã
itidẽ cõſuetudinẽ idẽ affirmat ex ap̃lica traditiõe manaſſe. Sed
age nunc oñdamus, ꝙ ab antiquiſſimis eccleſiæ temporibus,
miſſa pro ſacrificio ſit habita.

II.

Clemens ille, q fuit & diſcipulus & ſucceſſor Petri, in ep̃la ad
cunctos orthodoxos ita ſcribit. In aliјs locis ſacrificare & miſ-
ſas celebrare nõ licet, niſi in his in qbus epũs proprius iuſſerit.
Ecce & miſſæ & ſacrificiј mentionẽ facit Clemẽs. Et rurſum
in altera ep̃la ad Iacobũ. Præcipimus (inquit) ne unq̃ extero
eccl̃iæ ſine laico de fragmentis oblationũ dñi ponant ad men-
ſam. Et itẽ Clemens hoc ſacramentũ oblationẽ uocat.
Dionyſius itẽ Pauli diſcipulus cap. 3. eccleſiaſticæ hierarchię
ſic ait. Opoptet igit̃ nos, ut reor, nudata primi ac p̃cipui intelli-
gẽtia ſigni; itra ſacroſancta tranſire, diuinaq; principalis huius

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſigni ſpeciẽ intueri: ac pontificẽ Auguſtius cernere, a diuino altari uſq; ad phani nouiſſima cũ odoris ſuauitate pergentẽ, ac rurſus ad altare ip̃m conſumandi ſacrificij cauſa remeantẽ. Et huic, ut uidere licet, miſſa ſacrificium eſt.
Ignatius quoq;, qui & cõtemporaneus ap̃lis fuerat, in ep̃la ad Smyrnenſes dicit. Firma Euchariſtia reputet̃, q̃ ab ep̃o cõceſſa fuerit. Vbi ep̃s præſens fuerit: illic & plebs cõgreget̃, ſicuti & ubi Chr̃s eſt: omnis cœleſtis militia adeſt, tanq̃ principi militiæ uirtutis dñi. Et ipſe ẽ diſpenſator totius intelligibilis naturæ. Propterea nõ licet ſine ep̃o: neq; offerre neq; ſacrificiũ imolare neq; miſſas celebrare. Et is miſſam intelligit ſacrificiũ
Hos ſubſecutus Origenes, unus itẽ ex priſcis eccleſiæ patrib⁹ in cõmentarijs ſup Iob ita ſcribit. Hanc itaq; pietatis ac religioſitatis formã nobis omnibus demonſtrans Iob: ſurgebat mane: & mundabat filios, offerens pro eis hoſtiã ſecundũ numerũ illoꝝ. Primo mundabat: purificabat: ſanctificabat & ita demũ pro eis hoſtiã offerebat, ut cũctis imppetuũ oñderet quia mundos: & caſtos, atq; ſanctos conderent ſacrificia ut ſancte atq; digne imolata, ſancte atq; digne a ſc̃tis accipiant̃. Sic nãq; & ap̃lus poſt hæc dicit. Probet ſeipſum homo, hoc ẽ, mundet ſemetip̃m & ita de ſc̃tiſſimis dñi ſacrificijs fruat̃. Hec Origenes, q & ſacramẽta corp̃is & ſanguinis dñi ſacrificia uocat. 1. Cor. 11.
Subſcribit Chryſoſtomus omilia. 17. ad Hebræos ita dicens. Quid ergo nos? Nõne per ſingulos dies offerimus? Offerim⁹ quidẽ, ſed ad recordationẽ faciẽtes mortis eius. Et una ẽ hæc hoſtia, nõ multæ. Quomodo una ẽ & nõ multæ? Et quia ſemel oblata ẽ illa, oblata ẽ in ſancta ſanctoꝝ: hoc aũt ſacrificiũ exẽplar ẽ illius. idipſum ſemp offerimus. Nec nunc quidẽ aliũ agnũ, craſtina aliũ, ſed ſemp idipſum. Proinde unũ ẽ hoc ſacrificiũ, alioquin hac rõne, quoniã in m̃tis locis offert̃, multi Chr̃i ſunt? Nequaq̃, ſed unus ubiq; eſt Chrũs, & hic plenus exiſtens, & illic plen⁹, unũ corpus. Sicut em̃ q ubiq; offert̃, unũ corpus ẽ & non multa corpora, ita etiã & unũ ſacrificium Lucę 22.
pontifex aũt nr̃ ille ẽ qui hoſtiã mundantẽ nos obtulit: ipſam offerimus & nũc, q̃ tunc oblata quidẽ cõſumi nõ p̃t. Hoc autẽ q̃d nos facimus, in cõmemorationẽ quidẽ fit eius q̃d factũ eſt.

Hoc em̄ facite(inquit)in meā cōmemorationē. Nō aliud ſacrificiū, ſicut pōtifex, ſed idip̄m ſemp facim⁹, magis aūt recordationē ſacrificij operā. Hæc Chryſoſtomus.

Aſtipulat̄ his Damaſ. de orthodoxa fide li. 4. ſic dicēs. Hæc eſt pura ſcilicet hoſtia & incrueta, quā ab ortu uſq; ad occaſū ipſi offerri p prophetā dn̄s loquit̄: corpus uidelicet & ſanguis Chr̄i in ſtabilimētū animæ nr̄æ & corpis. Hæc Damaſcenus

III. Sed & ſexta ſynodus, q̄ magnæ fuit authoritatis, teſtat̄ baſiliū adieciſſe q̄dā ob miſſæ celebrationē. Hacten⁹ de Græcis.

Latini doctores aſſerunt miſſam eē ſacrificium

Ex latinis v̄o Tertullian⁹ q & erat uicinus apl'oꝝ tēporibus. Is in eo libro quē de cultu fœminaꝝ ædidit, mentionē huius ſacrificij facit, obijciens ipſis fœminis nullā eſſe foras progrediendi cauſam, q̄ nō ſit grauis & tetrica. Et tres eiuſmodi memorat, utpote, aut quū quiſpiā e fratribus mala ualetudine laborat, aut quū dei uerbū ppl'o p̄dicet, aut quū ſacrificiū deo ſit in tēplis offerēdū. Ecce hic ſacrificij meminit Tertul. q̄d in tēplis offerebat̄. Cuiuſmodi nullū apd chr̄ianos ē p̄ter miſſæ ſacrificiū.

Poſt hūc imitator eius Cyprian⁹, in epl'a q̄dā ad Ceciliū ita ſcribit. Qua in parte inuenimus calicē mixtū fuiſſe quē dn̄s obtulit, & uinū fuiſſe, q̄d ſanguinē ſuū dixit, vñ apparet ſanguinē Chr̄i nō offerri, ſi deſit uinū calici, nec ſacrificiū dominicū legitima ſanctificatione celebrari, niſi oblatio & ſacrificiū noſtrū reſpōderit paſſioni. Ecce palā uocat ſacrificiū.

Accedit his Hiero. i epl'a ad Hedibiā. Dn̄s(inqt)Ieſus ip̄e cōuiua & cōuiuiū, ipſe comedēs & q comedit̄. Illi⁹ bibim⁹ ſanguinē, & ſine ipſo potare nō poſſumus, & cotidie in ſacrificijs eius de gemine uitis uere rubētia muſta calcamus. Et hic plane Hiero. p ſacrificia miſſā intelligit. Ambro. itē in lib. de ſacramētis. 4. ca. 6. recēſet v̄ba ex canone, qb⁹ plane teſtat̄ apd ueteres miſſā pro ſacrificio habitā. Sacerdos(inqt)dicit. Ergo memores gl'ioſiſſimę ei⁹ paſſiōis, & ab īferis reſurrectiōis, et in cœlū aſcēſionis, offerim⁹ tibi hāc īmaculatā hoſtiā: rōnabilē hoſtiā: incruētā hoſtiā: hūc panē ſctm̄ & calicē uitę æternæ: & petim⁹ & p̄camur, ut hāc oblationē ſuſcipias i ſublimi altari tuo p man⁹ angeloꝝ tuoꝝ, ſicut ſuſcipe dignat⁹ es munera pueri tui iuſti Abel: & ſacrificiū patriarchę nr̄i Abrahę: & q̄d

tibi obtulit ſumm⁹ ſacerdos Melchiſedech. Hactenus ex ca-
none recenſuit Ambroſius.
Demū Auguſt.17.lib.de ciuitate dei ca.2.ſic inqt. Participē
aūt fieri mēſæ illius, ipm eſt incipe habere uitā. Nā & in alio
libro, q uocať ecclīaſtes, ubi ait. Nō eſt bonū homini, niſi ꝙ
mãducabit & bibet. Qui credibilius dicere intelligiť, q̄ q̄d ad
participationē mēſę hui⁹ ptinet: quā & ſacerdos ipe mediator
teſtamēti noui exhibet ſcdm ordinē Melchiſedech de corpe
& ſanguine ſuo. Id em̄ ſacrificiū ſucceſſit oībus illis ſacrificijs
ueteris teſtamēti, q̄ imolabāť in umbra futuri. Hæc Auguſt.
Vides igiť amice lector, tā ex græcis, q̄ ex latinis authoribus
uetuſtiores huic ſnīæ ſuos addidiſſe calculos. Et qd eſt q̄d his
Luther⁹ queat obijcere q̄ fidē eis abroget? Nihil penit⁹. Neq3
em̄ in eis ulla fuit, aut ambitiōis, aut auaricię, aut malignitatis
uel minima ſuſpitio. Omnino nihil eſt q̄d quiſq̄ pſpicit i iſtis
criminari. Oēs em̄ eruditiōe, iuxta atq3 uitæ ſanctimonia con
ſpicui ſunt. Sed & unanimi cōſenſu rē om̄es enunciāt. At qs
hūc cōſenſum eoꝝ pectorib⁹ inſpirauit alius, q̄ unitatis & cō
cordiæ ſpiritus? Cur ergo tot patribus tā priſcis, tā ſanctis, tā
eruditis, tantaq3 cōcordia rem hāc aſſeuerātibus, nō erit maior
fides adhibenda, q̄ uni Luthero, ut nihil dicam aliud, q̄ heri
nato, qui tam arroganter ab illis diſſidet, nulla ſolida rōne, nul
laq3 ſcriptura, niſi perperā intellecta ductus, ſed ſuo ſenſui ſuo
q3 ſpiritui prorſus innixus. Eiuſmodi ſane prophetis Ezechiel
ſeuere cōminať, inquiēs. Væ prophetis qui ſequunť ſpiritum
ſuum. Si Lutherus non ſuū ſequitur ſpiritū nemo unquā ſecu
tus eſt, quū neminē patrū quātūuis doctiſſimū, quantumuis
probatiſſimum, pro ſuo ſenſu nō contemnat, imo ſimul reijcit
& aſpernať cūctos. Et qd illū ad hanc amentiā perduxit, niſi
peſſimus ille diſſenſionis & diſcordiæ ſpūs? Nam ut ſanctiſſi-
mos illos patres diuinus ipſe ſpūs cōcordes afflauit, ita non eſt
dubiū quin ſpiritu diabolico (qui ſemper diſſenſionis author
eſt) Lutherus ad hanc agendā in eccleſia tragœdiā ſit afflatus
¶ Quod ſi forte cuipiā iſta quæ produximus paꝝ ſufficiāt,
ſed deſyderet adhuc ex ipſis aplis teſtimonia q̄dā, is profecto
nō ſatis æquus uideri poſſit, quū iniuria temporum deperijſſe

Vnanimi pr̄ꝰ coꝝ ſnīæ ſtandum eſt.

Lut. inſtinctu ſatanę nititur ſuo ſenſui

Ezech. 13.

credibile ſit, ſi quid hac de re ſcripſiſſent apoſtoli. Tamẽ ex eorũ actis, quę per maiorꝝ nrõꝝ diligentiam hactenus reſeruata ſunt, abunde liquet quod quærimus

Nã in actis Andreæ, ſic is tradit ad Egeã reſpondiſſe. Omnipotenti deo qui unus & uerus ẽ, ego omni die ſacrifico, non thuris fumũ, nec taurorꝝ mugiẽtiũ carnes, nec hircorꝝ ſanguinẽ, ſed immaculatũ agnũ cotidie in altari crucis ſacrifico, cuiꝰ carnes poſteaq̃ omnis pplus credentiũ manducauerit, & eius ſanguinẽ biberit, agnus q ſacrificatus ẽ integer perſeuerat & uiuus. In Matthæi q̃q; uita ſic habet. Quũq; celebrata ab apoſtolo miſſa, unuſquiſq; ad ꝓpria remeaſſet, aplus iuxta altare remanſit. Affirmat & ſexta ſynodus, Iacobũ dñi fratrẽ modũ quendã celebrãdæ miſſæ tradidiſſe. Sed & opinio conſtans ẽ, Petrũ Antiochię primã celebraſſe miſſam.

Modũ celebrãdi tradidit Iacobus.

V.

Miſſa aſſerit eẽ ſacrificium ex actis pontificum

¶Cæterꝝ quicqd de ĳs fuerit, in pontificũ itẽ actis res hęc ſatis ẽ dilucida. Nã in decretis Anacleti qui Clementi proxime ſucceſſit. 2. cap. ſic habet. Epũs aũt deo ſacrificãs, teſtes ſe cũ habeat, & plures q̃ alius ſacerdos. Sicut eñ maioris honoris gradu fruit: ſic maioris teſtimonĳ incrementatiõe indiget. In ſolẽnioribus quippe diebus, aut ſeptẽ, aut quinq;, aut tres diaconos qui eius oculi dicunt, & ſubdiaconos, atq; reliq̃s miniſtros ſecũ habeat, q ſacris induti ueſtimẽtis a fronte & a tergo, & preſbyteri e regione dextra leuaq;, contritoq; corde, & humiliato ſpũ, ac prono ſtent uultu cuſtodientes eũ a maliuolis hoibus, & cõſenſum eius p̃beant ſacrificio. Peracta aũt conſecratione, omnes cõmunicent, qui noluerint eccleſiaſticis carere liminibus. Sic eñ & apli ſtatuerũt & ſancta Romana tenet ecclia, Ecce hic affirmat epiſcopum deo ſacrificare & miſſam appellat ſacrificium.

Et Alexander quoq; qui Anacleto proxime ſucceſſit, uno dũtaxat intermiſſo, ſic ſcribit in decreto ſuo. Ipſa ueritas nos inſtruit, calicẽ aut panẽ in ſacramento offerre qñ ait. Accepit Ieſus panẽ & bñdixit, deditq; diſcipulis ſuis, dicens. Accipite & manducate, hoc eſt eñ corpus meũ, q̃d pro uobis tradet. Similiter poſtq̃ cœnauit. Accepit calicẽ dedit diſcipulis ſuis dicẽs Accipite & bibite ex eo omnes, quia hic eſt calix ſanguinis

Mat. 26
Marci. 14
Lucæ. 22.

mei, qui pro uobis fundet in remiſſionem peccatorum. Crimina atq; peccata, oblatis his dño ſacrificijs, delent. Iccirco & paſſio eius in his cõmemoranda eſt, qua redempti ſumus & ſæpius recitanda atq; dño offerenda. Talibus hoſtijs delectabit, & placabit dñs, & peccata dimittet ingentia. Nihil em̃ in ſacrificijs maius eſſe poteſt, q̃ corpus & ſanguis Chriſti. Nec ulla oblatio, hac potior eſt, ſed hæc omnes præcellit, quæ pura conſcientia, eſt domino offerenda, & pura mente ſumenda. Hactenus Alexander primus.

¶ Cõplures itẽ alios ex pontificibus memorare liceret, qui in decretis ſuis miſſam uocant ſacrificiũ, ſed hos dũtaxat hic duximus inſerendos, q ex primis erant & ipſis aploꝝ temporibus uicini. Subſcribunt etiã huic ueritati cõcilia plurima. ſꝫ unũ huc adduxiſſe ſatis fuerit, Nicenũ uidelicet, in quo fuerũt epiſcopi decẽ & octo ſupra trecentos. Verba concilij ſic habent. Peruenit ad ſanctũ magnũq; cõciliũ, quod in quibuſdã locis & ciuitatibus: Preſ byteris grãm ſacræ cõmunionis diaconi porrigant. Quod nec regula nec conſuetudo tradidit, ut ab ijs qui poteſtatẽ non habent offerendi, illi qui offerũt Chriſti corpus accipiant. Ecce conciliũ, quod & apud omnes orthodoxos maxime ſemper authoritatis fuit, affirmat ſacerdotes iure ſacrã Euchariſtiã offerre, quã poteſtatẽ diaconis aperte negat. Et ubi quæſo talẽ oblationẽ faciunt ſacerdotes alibi q̃ in miſſa? Quẽ ergo tot epiſcopoꝝ ſubſcriptiones (uel ſi nihil aliud eſſet) ad huius rei fidẽ non adigerent? Miſſam igitur ab exordio naſcentis eccleſiæ, fuiſſe pro ſacrificio ſemp uſurpatã omnibus omniũ patrũ ſuffragijs apertiſſime conſtat.

VI Cõcilia gñalia aſſerunt miſſam eẽ ſacrificium

Nicenum concilium.

VII.

¶ Iã & ſcripturis conſentaneũ eſſe monſtremus, q miſſa dicat opus & ſacrificiũ. Et quanq̃ ſcripturæ perpaꝝ hac de re loquant, in his tamen paucis, nonnihil lucet, quod ad hanc rem aperiendam abunde ſufficiat.

Negat Lutherus, ideo miſſam opus & ſacrificiũ dici, q promiſſio quædã ſit adiecta ſigno in pane & uino. Quoꝝ utrũq; nobis dat, nẽpe tã uerbũ promiſſionis, q̃ ſignũ in pane & uino. Quãobrẽ & uſus utriusq; (ut ipſe uideri uult) nequit in offerendo aut operãdo, ſed ſolũ in recipiendo & patiendo cõſi-

ſtere. Atqui nos ex ipis ſcripturis, hæc apertiſſime falſa eſſe, paucis docebimus.

Principio dilucidũ eſt ex ipius Pauli uerbis, non ſolũ dari nobis miſſam, uti Lutherus aſtruere conatur, uerumetiam aliud quiddam noſtro officio fieri, quũ dicat, Quotienſcũqȝ manducaueritis panẽ hunc, & calicẽ bibetis, mortẽ domini annunciabitis donec ueniat. Ecce, dicit, annunciabitis mortẽ domini, donec ueniat. Nec iſtud Paulus de priuata ſumptione uoluit intelligi, ſed de ea quæ fit in publico cõuentu. præmiſit em̃, quũ cõuenitis in eundẽ locũ. In conuentu igiť publico ubi ſacroſancta iſta myſteria tractanť, ac panis & uinũ in corpus & ſanguinẽ Chriſti conſecrantur, iam repreſentatur & annunciatur dominica mors, & eius in cruce ſacrificiũ. Quare nõ ſolum donari nobis hoc ſacramentũ, uerumetiã eodem ſacramento Chriſti mortem & ſacrificiũ (quod idem in cruce pendens obtulit deo patri) p nos repreſentari manifeſtũ eſt. Quid em̃ eſt aliud, annunciare mortẽ domini, q̃ ſacrificiũ illud crucis repreſentare? de quo Paulus alibi loquitur dicẽs. Tradidit ſemetipm̃ pro nobis oblationẽ ac uictimã deo in odorẽ bonæ fragrantiæ. Quã qdẽ oblationẽ & uictimã, ipe procul dubio uoluit p hoc ſacrm̃ a nobis repſentari, ut queadmodũ ille ſeipſum in cruce pro nobis immolauit patri, ita nos pariter corpus eius & ſanguinẽ in hoc ſacro iugiter imolem⁹. Nõ igiť uſus ſacramẽti ſolũ in recipiẽdo & patiẽdo cõſiſtit, ſed etiã in annunciando & repreſentãdo Chriſti mortẽ, & crucis ſacrificium.

I. Cor. II.

Mors Chri. repſentať in ſacramẽto altaris.

Ephe. 5

Vſus ſacri cõſiſtit in annunciatione & repſentatione mortis Chri.

Adde, φ ſi miſſa nõ ſit aliud q̃ promiſſio, neqȝ pterea quicquã operis cõplectatur, fruſtra Paulus ingeminaſſet hoc facite, Semel em̃, poſt panis conſecrationẽ, ex ore Chriſti ſubiecit, hoc facite in mei memoriã. Et iterũ conſecrato calice ſubdit, hoc facite quotieſcũqȝ biberitis in mei memoriã. Sed neqȝ Lucas hoc ipm̃ tacuit pane cõſecrato. Mox em̃ adiecit, hoc facite in mei memoriã. Quid toties inculcant hoc uerbũ, facite, nõ aliter q̃ ab ipo Chriſto pronunciatum, ſi miſſa tantum ſit promiſſio, neqȝ ſecum operis quicquã inuoluat? An ullum queſo uerbũ operationẽ & opus magis exprimat, q̃ hæc uox facite? Nullũ profecto. Quando igitur miſſa non ſit, niſi quod

I. Cor. II.

Lucæ. 22

Chriſtus mandauerit faciendũ, idipm̃ ſacerdos opere comple uerit, omnino dilucidũ eſt, non poſſe, niſi ab impudentiſſimo negari, opus aliquod noſtrũ ad miſſæ ſubſtantiam exigi. Certiſſimũ eñ eſt, ſi nemo poſt Chriſtũ hactenus conſecraſſet, neq id feciſſet quod Chriſtus fecit poſt cœnam, certiſſimũ (inquã) eſt, nunquã ab eo tempore miſſam fuiſſe. Quare quũ aperte cõſtet ad miſſæ cõſiſtẽtiã opus noſtrũ exigi, palã ẽ miſſã nõ eſſe permiſſionẽ ſolã. Liquet igit̃ ex Pauli, Chriq; uerbis, miſſam citra noſtrũ opus haudquaquã fieri. Liquet & miſſam nõ eẽ promiſſionẽ ſolã, quũ promiſſio rata maneat absq; noſtro opere. Miſſã uero ſine opere noſtro non habeatur.

¶ Ad hæc, Paulus, quũ dicat paſcha noſtrũ immolatus eſt Chrũs, An nõ plane diſcriminat paſcha nouũ a ueteri, & noſtrũ, hoc ẽ chriſtianoꝝ a Iudaico ſecernit? Plane profecto docet Iudæoꝝ paſcha ſic ad chr̃ianoꝝ ſe habere, quẽadmodũ figura ſe habet ad ueritatẽ, & ad corpus, umbra. Quãobrẽ ut illoꝝ paſcha legalis agni ſacrificiũ fuit, ita nr̃m, hoc eſt chr̃ianorum paſcha, ueri agni ſacrificium eſt. Et quanq̃ is uerus agnus in cruce pro nobis fuerat immolatus, nõ in cruce tñ edebatur ſed in altari dũtaxat. Et agnus itẽ ip̃e uerus, nẽpe Chrũs Ieſus q in cruce paſſus fuit, in altari q̃q; fit noſtrũ paſcha. Neq; duo tñ paſchata ſunt, aut duo ſacrificia, ſed unũ paſcha, unũq; ſacrificiũ. Quãdoquidẽ alterꝝ alterius ẽ rep̃ſentatiuũ. Nã in utroq; uerus & idẽ agnus eſt Chrũs Ieſus, qui ut olim in cruce per mortẽ fuerat immolatus, ita nunc & immolat̃ cotidie, nimirũ ut apud nos mortis Chriſti memoria cotidie renouetur

VIII
I. Cor. 5.

Vnũ paſcha ẽ qđ Chr̃s obtulit, & modo ſacerdos

Sed & quũ de mẽſa dñi, & de mẽſa dęmonioꝝ loquat̃ Paulus eãdẽ rẽ ſatis euidẽter inſinuat. Sic enim ſcribit. Videte Iſraelem ſecundum carnem. Nonne qui edunt hoſtias: participes ſunt altaris? Quid ergo? dico q̃ idolis immolatum ſit aliquid: aut quod idolũ ſit aliquid? Sed quæ immolant gentes dæmoniis immolant & non deo. Nolo autẽ uos ſocios fieri dæmonioꝝ. Nõ poteſtis calicẽ dñi bibere & calicẽ dęmonioꝝ. Nõ poteſtis mẽſę dñi participes eẽ & mẽſæ dęmonioꝝ. Eſt ergo rõcinatio Pauli hęc. Sicut q̃ uictimas iuxta legẽ ueterẽ imolatas edebãt, p̃ticipes effecti ſũt altaris et cõſortiũ q̃ddã iniiciebãt

I Cor. x.

cũ eo cui ſacrificabãt ipſæ uictimæ, ita fit & paſſim ubi tales uictimæ cuiuis offerunt, ſiue deo, ſeu dæmonibus. Nã ut in menſa dæmonioꝝ dæmonibus oblationes fiunt, & quiſquis ex eis ederit cõſortiũ habet cũ dæmonibus, ita & ĩ menſa dñi, quod immolat, immolat dño, & qui talibus oblatis, ueſcit, cõmunionẽ inijt cũ domino. Quamobrẽ omnino cauete ne guſtetis quicq̃ ex his quæ dæmonibus immolant. Nolim enim uos conſortes eſſe dæmonioꝝ, cuiuſmodi certe ſi fueritis, cõmunione domini carebitis, quũ nõ poteſtis una participes eẽ, & menſæ dñi, & menſæ quoqꝫ dæmonioꝝ. An non Paulus hic plane docet, ꝙ queẽadmodũ in menſa dæmonioꝝ q participes fiunt eoꝝ quę illic dęmonibus offerunt conſortiũ cũ ipſis ineunt dæmonijs, ita & q in menſa dei cõmunicãt oblatis iſtic uictimis conſociationẽ quandã ineunt cũ deo. Q̃ ſi quis neget hunc eſſe ſenſum argumentationis Paulinę, is plane nõ aduertit quid hac argumentatione Paulus efficere conat. Molitur eñ his uerbis Paulus, ꝙ omnes q in menſa dñi ſumimus Euchariſtiã, eius corpori pariter ac ſanguini cõmunicamus. Nam proxime ſuperius admonuerat Corinthios, quatenus fugerent ab idolorũ cultura. Et mox rationẽ ſubdit. Quoniã Chriſto cõmunicamus per uictimã carnis & ſanguinis ſui, quibus in eius mẽſa ueſcimur. Et iſtud qua ratione probat? Quoniã (inquit) ut carnales Iudæos, uictima (quã offerebant) ipſos effecit participes altaris, ita & uictima, quæ uel in menſa dñi, uel dæmonioꝝ offert, aut illius aut iſtoꝝ cõſtituit participem Dilucidũ igit eſt ex Paulo, corpus & ſanguinẽ domini uictimã eſſe & ſacrificiũ oblatum in menſa domini.

IX ¶ His accedit ꝙ in ſcripturis plerũqꝫ de ſacerdotio nouo ſecũdũ ordinẽ Melchiſedech mẽtio facta ſit, & ꝙ Chrũs ſcdm ordinẽ illũ ſacerdos fuerit, ſæpius aſſerit. Q̃ ſi ueꝝ ſit, oportuit aliqñ Chriſtũ in pane & uino ſacrificaſſe, queẽadmodũ & Melchiſedech in eiſdẽ ſacrificaſſe tradit. At nuſq̃ id feciſſe legit pterq̃ in cœna qñ ſub ſpecie panis & uini ſacra ſui corpis & ſanguinis inſtituit. Quãobrẽ & in cœna uere ſacrificauit, uerũqꝫ patri ſuo ſacrificiũ obtulit. Et qm̃ aplis, ut idipm poſtea iugiter facerẽt, mãdauit, eoſdẽ etiã uoluit ad eũ ritũ ſacri-

ficare. Nec ab illis dũtaxat, ſed ab eorũ itẽ ſucceſſoribus, q̃ diu foret eccl'ia duratura, ſacrificiũ iſtud ſil'iter offerri uoluiſſe credẽdũ eſt, quũ iã hmõi ſacrificio nõ minus egeat eccl'ia, q̃ aplo rũ tẽporib⁹ indigebat. Quãobrẽ & hodie quoq; ſacrificiũ iſtđ extare dilucidũ eſt. Sup hæc, quũ Paulus ad Hebræos teſtet̃ uetus illđ ſacerdotiũ, q̃d ſecũdũ ordinẽ Aaron fuerat, iã prorſus antiquatũ eẽ, oportet aplo℞ ſucceſſores, q iã nouæ legis ſacerdotes ſunt ſacrificiũ aliquod habere, q̃d reſpondeat ordini Melchiſedech quẽ ordinẽ & deus pater æternũ fore iureiurãdo cõfirmauit. At nihil eiuſmodi palã eſt in eccl'ia reperiri, p̃ter hoc auguſtũ & in primis adorãdũ corporis & ſanguinis Chr̃i ſacrificiũ, q̃d in oibus eccleſiis om̃ipotẽti deo p ſacerdotũ man⁹ iugiter offert̃. Id em̃ aptiſſime, nõ ſolũ illã oblationẽ, quã ſolitus eſt offerre Melchiſedech, uerũetiã ipm ſacrificiũ ſumme colendiſſimũ, q̃d in ara crucis Chrũs pro nr̃is peccatis obtulit, repreſentat. Quãobrẽ & manifeſte ſcripturis cõſentaneũ eſt, ꝗ miſſa dicat̃, & opus & ſacrificium.

Hebr. 7.

Præterea, nulla unq̃ lex abſq; ſacerdotib⁹, neq; ſacerdotes unq̃ abſq; ſacrificio fuiſſe legunt̃. Nã & in ueteri lege, q̃ nr̃æ legis (quã nouã dicim⁹) umbra fuit, erãt ſacerdotes & ſacrificia, q̃bus & in hac noua lege ſil'ia q̃dã oportet, rñdeant. Nã iuſſus eſt Moſes oĩa facere ſecũdũ exẽplar, q̃d in mõte ſibi mõſtratũ fuit. Et q̃q̃ Chr̃s, ſummus nr̃ põtifex, tẽplũ nõ manufactũ, nec ſine ſanguine, ſemel ſit ingreſſus, nos tñ q ſacerdotes inferiores ſumus ocioſos eẽ non decet, ſed in altaribus iſtis, q in atrio ſunt, hoſtiã oportet aliquã immolemus, q̃ pro pc̃tis, & noſtris & alienis ſatisfaciat. Quũ igit̃ nulla talis aſſignari poſſit, p̃ter hoſtiã & ſacrificiũ corpis Chr̃i, plane colligit̃, miſſam uel ob id maxime ſacrificiũ dici optere. Nã p̃ter miſſam nihil habemus, q̃d iuxta Lutheri rationẽ, a nobis queat offerri. Quicqd em̃ nr̃m eſt, ſordet, & indignũ eſt q̃d offerat̃. Quicqd uero dei fuerit id a nobis accipit̃, & nobis ab ipo dat̃, uſuſq; eius (ſi Luth. credimus) in recipiẽdo & patiẽdo cõſiſtit, nõ in offerendo & operãdo. Quãobrẽ quũ oĩa uel nr̃a ſint uel dei, nihil omnino relinquit̃ nobis quod offeramus deo. Neq; em̃ dei dona (ut Luthero uiſum eſt) poſſumus offerre, ſed nec opus aliqđ.

In oĩ lege fuit ſacrificiũ.

Exodi. 25.

Hebr. 9.

noſtrũ eſt, quod offeramus, quũ quicquid eiuſmodi fuerit, im mundũ & ſordidatũ ſit, authore Luthero, Deniq́; noſipſos ſi moliamur offerre, quũ carere nequeamus peccati fomite (quẽ & Lutherus uere peccatũ eſſe contendit) ſacrificiũ noſtrũ nõ poteſt non impurũ eſſe. At ſacrificiũ quo placat deus oportet omni macula carere. Quare quũ tale nihil apud nos haberi pt præter ipm in primis uenerandũ miſſæ ſacrificiũ, ſupereſt ut hoc ipſum apud Chriſtianos ſacrificij loco potiſſimũ habeat.

Corollarium

Quo fit ut quiſq́s hoc ſacrificiũ ab eccleſia tollere moliat nihi lo minorẽ ei iacturã intẽtabit, q̃ ſi mũdo ſolẽ eripe ſtuduerit.

Tacitæ obiectiõis dilutio.

At quiſpiã dicet. Luthero nihil eſt diſcriminis inter plæbẽ & ſacerdotes. Fateor. Lutherus ita dicit. At ſcripturæ diſcriminant inter utroſq́;. Quid eñ aliud Paulus cap. 3. j. ad Corint. agit, quũ dicit. Dei coopatores ſum⁹, dei agricultura eſtis, dei ædificatio eſtis. Sacerdotes, dei coopatores uocat, plębẽ uero cẽſet agricolationẽ, ædificationẽq́; dei. Nũ in his nihil eẽ diſcriminis quiſq̃ audebit aſſerere? Plębs ad modũ agri ſacris uitalibus excolit, neq́; minus eadẽ ſalutaribus documẽtis ædificat. In q̊ ope tãetſi Paulus deo primas partes tribuat, ſe tñ & cæteros comyſtes ſuos, nimirũ ſacerdotes, deo facit coopatios Quãobrẽ & quũ ſub Chr̃o põtifice ſummo plures cõperiant eẽ minores ſacerdotes, queãdmodũ in ueteri lege ſub maximo põtifice minores erãt haud pauci q plębis curã agebãt, cõſentaneũ eſt, ut & illis pariter deputatũ ſit quoddã ſacrificij gen⁹ quo pro peccatis, tã ſuis, q̃ alienis deo ſatisfieri queat.

Sacerdotes a plæbe diſtant

X

Paſſiõis Chriſti p ſacra effi mur participes.

Nam etſi redẽptio illa in cruce ſemel facta ſempiternũ habeat uigorẽ, nõ tñ ſingulo cuiq́; pc̃tori uirtus eius accõmodat, niſi p media q̃dã. Qd nec Lutherus ipe negabit. Nã etſi Chr̃s pro peccatis oĩm abolẽdis mortuus ſit, nemo tñ hui⁹ abolitionis particeps euadit, niſi q crediderit & ſacris eccl̃iæ myſterijs ſubmiſerit ſeſe: hoc eſt ergo participẽ fieri redẽptiõis illius ſemp ſtantis, credere uidelicet, & ſacramentis eccleſiæ quẽlibet rite inijciari. Huius autem inijciationis miniſtros quoſdam oportuit deſignari, quos & ſacerdotes uocamus, quorũ eſt & hoc altaris offerre ſacrificium, quod quoties faciunt, etiam crucis ipſius & mortis referunt ſacrificium.

Sacrificare quid ſit

His accedit, ꝙ quum ſacrificare nihil aliud ſit, q̃ ſacra facere,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ubi ſacra fiunt, illic ſacrificatio ſit oportet, atq; per locũ a coniugatis conſequitur, & illic agi ſacrificiũ. At palã eſt, ex ſcripturis, mandaſſe Chriſtũ, ut hæc eadẽ, quæ ipſe pridẽ in cœna fecerat, ipſi faceremus. Quæ certe quũ nõ ſint prophana, ſed ſacra, & nos eius iuſſu, ſacra facimus. Quãobrẽ, & monitore Chriſto, quoties panẽ & uinũ conſecramus, toties & ſacra facimus, ac ſacrificamus, omninoq; ſacrificiũ agimus. Et quis hominũ eſt, qui quũ de ſacerdote quopiã audierit eũ feciſſe ſacra nõ protinus eundẽ intelligit miſſæ ſacrificiũ obtuliſſe. Manifeſtũ igit' eſt, id tã rationibus q̃ ſcripturis conſentaneũ eſſe, ꝙ miſſa dicatur opus & ſacrificium.

XI

¶Sed ut dicere cœperamus, Lutherus miſſam ideo teſtamentũ & promiſſionẽ eſſe contendit, quatenus inde facilius colligere queat, nec opus eã eſſe, nec ſacrificiũ. Q; ſi Lutherus iam primum hoc miſſæ uocabulũ repperiſſet, Liceret pro ſuo arbitrio uocem eam interpretari. Neq; ualde reluctarer, ſi quid, ipſo uocabulo uellet intelligi', nobis aperte diffiniret. At quũ non heri & nudiuſtertius (ut aiunt) ſed ab ipſius eccleſiæ primis unguiculis, hoc uocabulũ uſurpatum ſit, omnino temerarium & impudens fuerit, aliam ei diffinitionem adhibere, q̃ quæ menti & ſenſui illorum, qui primum eam uocem inſtituerunt, conquadret. Quando igitur priores patres omnes quotquot de miſſa locuti ſint, ipſum miſſæ uocabulũ pro opere & ſacrificio concorditer uſurparunt, improbiſſimũ fuerit, illi diffinitionem ullam accommodare, quę a patrum diſſentiat inſtitutis.

Miſſę uocabulũ oẽs antiq ꝓ ſacrificio uſurpant

Ex ipſis uero patrũ traditionibus apertiſſimũ eſt, miſſam non rẽ unam ſimplicẽ eſſe, ſed multas in ſe complecti. Complectitur enim miſſa, multa uerba ſacra, tam ea quæ Chrũs poſt cœnam protulit, q̃ cætera quæ per apoſtolos & uiros apoſtolicos ad eius ſacrificij decorem adiecta ſunt. Complectitur & uerborũ ipſorũ ratiocinationẽ, ſine qua nihil omnino fit. Per hanc enĩ de pane fit corpus Chrſti, ſimul & de uino ſanguis. Quãobrẽ & hęc recitatio nõ aliter ad miſſæ ſubſtantiã exigitur q̃ quod maxime. Hęc etiã prolatio, ſi per idoneũ miniſtrũ ſuper pane uinoq; fiat, iã corporis & ſanguinis cõſecratio eſt.

Miſſa plura cõplectitur.
Primo
Secundo

Quãobrẽ & panis ac uini præſentia, ad hoc ut miſſa peragaꝉ,
Tertio. neceſſaria eſt. Cõplectitur inſuper & repreſentationẽ mortis
Chr̃i, atq; ita p miſſæ ſacrificiũ annunciaꝉ aliud, nimirũ illud,
Quarto qd in cruce Chr̃s pro nobis olim obtulit. Cõplectiꝉ itẽ pre-
ces & cõmendationes, tã uiuoꝝ, q̃ mortuorũ, queadmodũ in
Quinto. uetuſtiſſimis patrũ traditionibus aptiſſimũ eſt cernere. Cõple
ctiꝉ demũ & mutuã incorporationẽ tã Chr̃i nobis, q̃ nr̃i Chri
ſto, quæ nõ tã efficaciter ſola fide fit, q̃ per hanc realẽ corpo-
ris & ſanguinis Chriſti ſumptionẽ. Hæc inquã omnia miſſa
XII cõplectiꝉ, ut nequeat una ſimplex res dici, ſed multiplex.

Miſſę diffini-tio. ¶ Merito igiꝉ ſic deſcribi miſſa poterit. Miſſa eſt cæremo
nia ſeu functio ſacerdotis, dũ ĩ altari cõficiꝉ Euchariſtia, ſimul
& Chr̃i crucifixi ſacrificiũ annũciaꝉ. Sicut eĩ paſchalis agni cę
remonia ſeu religio q̃ ſane res nõ paucas exigebat, phaſe uo-
cabaꝉ .i. trãſitus. Sic et Euchariſtię cõficiẽdę cęremonia, miſſa
Miſſa unde dicta ẽ. Porro, q̃tũ ad Etimologiã ſpectat, paꝝ refert vñ dedu
deriuatur ctã hãc miſſæ uocẽ putes, an ab emittẽdo, an a demittẽdo, aut
a promittẽdo, aut demũ ut nõnullis placet a trãſmittẽdo, de q̃
Phaſe trãſitus re poſtea nõnihil dicem⁹. Interim iſtud ad rẽ ptinet annotare,
ꝙ ſicut phaſe, q̃q̃ oẽs authores trãſitũ interptenꝉ, alij tñ alium
huius trãſitus cõſiderationẽ faciũt. Nã quidã ideo tranſitũ di-
ci uolunt, ꝙ tunc populus ex Aegypto uerſus terrã ſibi pro-
miſſam trãſierit. Alij uero placet ut dicaꝉ trãſitus, ꝙ tũ trãſie-
rit angelus p domos Aegyptioꝝ eiſdẽ pcuſſis. Sic & miſſę uo
cabulũ originẽ uariã habere pt. Sed quorſum iſta? Nimirũ ut
intelligamus argutiã Lutheri q̃ miſſam colligit nõ eẽ ſacrifi-
ciũ, eẽ merũ ſophiſma. Sic em̃ arguta ꝉ. Miſſa promiſſio eſt, ſa
crificiũ aũt res eſt, nõ eſt ergo miſſa ſacrificiũ. At ſic de phaſe
quiuis pariter argutari poterit. Phaſe tranſitus eſt & motus q
dã, non aũt res. At agni ſacrificiũ res eſt, Non eſt ergo phaſe
ſacrificiũ. At qui tali ſophiſmate uteretur, nõne protinus ex-
ſibilareꝉ, & exploderef ab omnibus, quũ in ſcripturis tam apert
te neq; ſemel phaſe uocetur ſacrificium.
I. Cor. 5. Paulus utiq; dicit, Paſcha noſtrũ immolatus eſt Chr̃s. Et qñ
precor ſacrificium iſtud ædimus potius, q̃ ubi ſumim⁹ Eucha
riſtiã? Quãobrẽ & Euchariſtię cõſecratio, uere ſacrificiũ eſt,

quũ illud olim in cruce factũ ſacrificiũ, euchariſtia palam refe rat. Mer itaq; ſophiſma eſt. Phaſe tranſit⁹ eſt & mot⁹, Sacri-ficium res eſt, nõ eſt ergo phaſe ſacrificiũ. Et eiuſmodi profe-cto Luther⁹ ſe nũc ſophiſtã præſtat, quũ ſic argutet̃, queadmo dũ infra non ſemel facit. Miſſa promiſſio eſt, ſacrificiũ aũt res eſt, non eſt ergo Miſſa ſacrificiũ, ſicut neq; promiſſio, quæ in uerbis conſiſtit, res eſſe poteſt. At iſtud ſophiſma nemo diluet apertius, q̃ ſi nouã iſtam cæremoniã cum illa ueteri conferat, & uocabulum huius cũ illius cõponat uocabulo. Nam ut ad cæremoniã ueterem exigebant̃ multa, nõ ſolum agnus qui de buerat ĩmolari, uerũetiã panes azimi, pariter & agreſtes lactu-cæ, quę poſtq̃ agnus aſſus eſſet, una cũ agni carnibus ederent̃ Poſtes itẽ & ſuplimĩaria domor, agni ſanguine neceſſũ erat obliniri. Multa quinetiã uetabãt̃, ne uidelicet, aut crudum, aut aquã coctũ ederent, ne ue caput aut pedes amputarẽt a corpo re. Nonnihil uero promittebat̃, nimir ꝙ a plagis quibus affli gerent̃ Aegyptij, tuti forent ipſius agni comeſtores. Exodi. 12.

Quis non perſpicit hãc ueterem cæremoniã, nouæ noſtrę cæ remoniæ (qua uer agnũ immolamus) ferme per ſingula rñde re, non aliter q̃ umbrã aliquam ſuæ rei, figurãq; clariſſimæ ue ritati. Propter quod & Chrs poſtq̃ in cæna ueterẽ illã agni ty pici cõpleſſet: nouã aliam protinus inſtituit cæremoniam, qua ſeipſum uer & immaculatũ agnũ obtulit. Optulit inq̃ gratijs actis patri, ſimul & oblatũ, una cũ diſcipulis ſuis cõedit, iuſſitq; quatenus hanc cæremoniã exercerent, in memoriã ſuæ mor-tis, qua ſanguis in remiſſionẽ pctõr effunderetur. Matth. 26. Marci. 14. Lucæ. 22.

XIII.

¶ Eat iam Lutherus & obganniat Miſſam eſſe promiſſio-nem, nec ob id ſacrificiũ eſſe poſſe. Nihilo certe magis ipſum audiem⁹, q̃ ſi de ueteri cæremonia ſic argutaret̃. Phaſe trãſitus eſt, & ob id non poteſt eſſe ſacrificiũ. Sicut eñ phaſe uocabu lũ a trãſitu fuerat impoſitũ illi ueteri, ſic & nũc huic nouę cęre moniæ, Miſſę uocabulũ inditũ ẽ a miſſiõe. Fuerũt utiq; q miſ ſam ab emiſſiõe uocatã exiſtimarunt, ꝙ tũ emitterẽt̃ cathecu-meni, quũ ſacerdos eſſet ſacror myſterior cõfectionẽ aggreſ ſur⁹. At alijs placet a demiſſiõe ſic dictã, nimir ob id ꝙ a patre tũ ad nos hoſtia ipſa uiua demittat̃ e cœlis. Alijs uiſa fuit a trãſ De miſſæ uo-cabulo uariæ opiniões. I II III.

miſſione uocari, ꝙ per ſacerdotē, q mediatoris uice fungatur
inter deũ & hoĩes, pręces & uota ſimul & oblatões deo tranſ-
IIII mittãtur. Nõnulli uero cenſent a remiſſione miſſam appella-
ri, ꝙ ea finita, populus ad ſua remittatur
Et quãq̃ in Etymologia uocis ita uariẽt, nemo tñ repertus eſt
qui negaret miſſam ſacrificiũ eſſe, quoad iam tandẽ exortus
ſit Luther⁹, q ceu nouitatis author, ne uideat quenq̃ prioꝝ imi
tari, Miſſam promiſſionẽ facit, ꝙ in ea promittat remiſſio pec
catoꝝ. Neq; nos negamus promiſſionẽ remiſſionis pctoꝝ in
miſſa recẽſitã eſſe, & p miſſam itẽ pręſtari, quatenus miſſa cru
cis annũciat ſacrificiũ, in qua ſanguis effundebat in remiſſio-
nẽ pctõꝝ Et qd prohibet, miſſam ita nomẽclaturã ſuã a pro-
miſſione remiſſionis pctõꝝ accepiſſe. Neq; eñ iſtud impedit
quo minus ipſa miſſa dicat ſacrificiũ, ut quũq; fuerit, iſtđ haud
dubie cõptiſſimũ eſt, miſſam cõcorditer a patribus creditã &
habitã fuiſſe pro ſummo ſacrificio. Sed hos Lutherus arrogã-
Regis uerba. tiſſime contẽnit. In qua re profecto Rex hominẽ ſcite ſimul
& acute ſalſiſſima perpũxit acrimonia. Vnus (inquit) Luthe-
rus pſpicue uidet miſſam nõ eſſe ſacrificiũ nec oblationẽ. Mi
rũ eſt, ex tot ſanctis patribus, ex tot oculis, quot in eccleſia, tam
multis ſæculis, idẽ legerũt euãgeliũ, nullũ fuiſſe unquã, tam p
ſpicacẽ, ut rem tã aptã depħẽderet, imo oẽs etiãnum tã cęcos
eſſe, ut nec adhuc qdẽ queãt, id qđ cernere ſe Lutherus iactat
quãq̃ ipõ mõſtrãte pſpicere. An nõ Luther⁹ hallucinat poti⁹
& aliqd ſe uidere putat, qđ nõ uidet, & digito conat oſtẽdere,
qđ nuſq̃ eſt. hactenus ipẽ Rex, nõ minus uere q̃ elegãter, qb⁹
Epiſcopus. uerbis aptiſſime docet, nõ eſſe Luthero contra tot ſctiſſimos,
pariter & eruditiſſimos patres fidẽdũ in hac hæreſi, qua cenſet
miſſam nõ eẽ ſacrificiũ, niſi dogma ſuũ ſcripturis uſq;adeo ma
nifeſtis cõprobauerit, ut nemo uł ptinaciſſim⁹ q̃at cõtradicere
Epilogus ¶ Vides itaq; lector quãto cõſenſu traditũ ſit a patribus, miſ-
ſam & opus & ſacrificiũ eẽ. Ab illis (inquã) patrib⁹, q tã erudi
tõe q̃ uite ſanctimonia, ceu totidẽ aſtra, fulſerũt in eccleſia dei,
Sed & uſu tot ſæculoꝝ ab ipſis uidelicet Eccleſię crepũdiis cõ
probatũ, neq; id ſolũ ueꝝ etiã ſcripturis & rõnibus oĩno cõſen
taneũ. Lutheꝝ uero cõtra nihil attuliſſe, p ſua hæreſi fultiẽda
pter meras nugas & inania cõmẽta. Cõtorſit eñ ſcripturã illã

cænæ dñicæ tã uiolẽter in partẽ ſuã, ut nemo nõ intelligat, in iuriã chriſti uerbis illatam, atq; id temerrime.

¶Ceter; qa diſputatio nr̃a de uocabulo miſſę iã agit̃ nõ abs re fuerit huc citare qd amicus nr̃ Ioãnes Capnion uir in oĩ literatura celebratiſſim⁹ hac de re ſcripſerit. Sic em̃ in rudimẽtis q̃ ꝓ linguæ ſc̃tẽ noticia digeſſit ſub dictoẽ מַס tradidit מַס (inqt) munus perſonale, collecta, tributũ. &c. Et paucis interpoſitis ita ſubdit. Inde uenit per additionẽ ה literæ in fine מִסָּה, id eſt oblatio quæ fit ſuperiori domĩo propter debitũ munus perſonale. Deut. 16. Oblationẽ ſpõtaneã man⁹ tuę quã offeres iuxta bñdictiõem dei tui. Qd nomẽ nos chr̃iani ſacrificio nr̃o ĩpoſitũ retinuimus uſq; ad hoc tps ut a nobis appellet̃ miſſa, quod a grecis liturgia. Nota igit̃ ꝙ miſſa neq; gręcũ neq; latinũ eſt, ſed hebraicũ, ſicut etiã pasha neq; gręcũ neq; latinũ extat ſed ab hebreis mutuatũ. Hacten⁹ ille. Ecce lector audis hic miſſę uocabulũ neq; gręcũ neq; latinũ eẽ ſed hebreũ queãdmodũ & paſha. Audis & hebreis idẽ oblationẽ dici, q̃ fit ſupiori dño propt̃ mun⁹ debitũ pſonale. Audis & ſcripturę locũ ex Deut. citatũ quo uocabulũ ipm מִסָּה, hoc eſt miſſa, ꝑ interp̃tẽ oblatio ſpontanea uocat̃. Audis et idẽ uocabulũ ab hebreis mutuatũ, hacten⁹ apud nos chr̃ianos uſurpatũ eẽ, ꝓ ſacrificio nouo, hoc ẽ, ꝓ illo q̊d antiq̃tis Moſaicæ legis ſacrificijs in lege noua ſucceſſit. Audis deniq; latinis hoc ipm dici miſſã, q̊d gręcis eſt lyturgia Et ſane priſcoꝝ hebreoꝝ cõplures (queãdmodũ ĩ libello quẽ pro ſacerdotio ſtabiliẽdo, cõtra Lutheꝝ edidim⁹ aptũ ẽ) affirmãt futurum Meſſyę tpib⁹, ut iuxta ritũ ſacerdotij Melchiſedech in pane & uino ſacrificet̃. Quãobrẽ & hi plurimũ aſtipulãt̃ Capniõi nr̃o pit̃er & ſcripturę, q̃ מִסָּה uocabulũ interpretat̃ oblationẽ. Sed & Malachias meo iudicio rẽ iſtã haud obſcure ꝓdidit. Nã haud multo poſteaq̃ ſacerdotib⁹ Iudęoꝝ op ꝓbrauit, ꝙ panẽ pollutũ obtuliſsẽt ĩ altari. Offertis (inqt) ſup altare meũ panẽ pollutũ. Nõ ml̃to poſt ſubĩfert. Nõ ẽ mihi uolũtas in uobis, & mun⁹ nõ ſuſcipiã de manu ur̃a. Ecce hic mun⁹ panis p ſacerdotes Iudeoꝝ oblati, ꝓrſus auerſat̃ de⁹. Sed iã aduerte, quod nam aliud a gentibus oblatum, ſe ſuſcepturum pollicetur. Ab ortu (inquit) ſolis uſq; ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gẽtibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur

XIIII
Miſſa dictio hebrea eſt.
Capnion.
Epiſcopus.
Malach. 1.
Argumẽtum ad hoiem ex Lutheri ſnia.

Iohan. 6. nomini meo oblatio mũda. Que nã ꝑcor eſt hæc oblatio mũ-
da, niſi panis ipſi⁹, q de cœlo deſcẽdit, hoc eſt corꝑis Chr̃i ſub
ſpẽ panis in Euchariſtia. Nã qcqd aliud a nobis proficiſcit͛(ſi
Luthero credim⁹)impuꝝ eſt, & pãno mẽſtruatæ ſordidius, ni
miꝝ ob pct̃m̃(ut ille ait)qđ in nobis reſidet continuo. Quo fit
ut nullũ oĩno ſit op⁹ nr̃m(ſi Luthero fidẽ habeam⁹)qđ pct̃õ ca
reat. Quãobrẽ neqꝫ nõ pollutũ eſſe p̃t, qcqd ẽ opis noſtri Hęc
iuxta Lutheri ſñiam & hęreſin dicim⁹. Veꝝ cœleſtis iſte pa-
nis, quẽ ſacrificam⁹ deo, nihil habet ĩpuritatis, ſed eſt ĩmacula-
tũ ſacrificiũ & idẽ iugit͛ in om̃ib⁹ eccl̃ijs ꝑ totũ chriſtianiſmũ
immolat͛. Sicut igit͛ oblatio panis, quẽ ſuꝑ altare Moſaicũ ſa-
cerdotes ueteris legis offerebãt, iã plane ſpreta eſt, & cõtẽpta
prorſus a deo, ita ſacrificiũ panis, qđ ſuꝑ altaria nomĩ Chr̃i di-
cata per ſacerdotes nouæ legis iugit͛ offert͛, acceptũ erit, & ma
gnoꝑe gratũ. Quis nõ itaqꝫ iã exploratiſſimũ habet, iſtuc om̃ia
cõquadrare, nimiꝝ ut miſſa uere dicat͛ ſacrificiũ. Veriſſimũ e-
quidẽ eſt, qđ Ethnic⁹ quidã ait. Om̃ia uero cõſonãt. Nã huic
ſane ueritati cõſentiũt om̃ia. Subſcribit eñ cũ primis receptiſ-
ſima totius eccl̃iæ cõſuetudo. Eandẽ item cõprobat ſc̃tiſſimo
rũ iuxta & doctiſſimoꝝ patrũ oĩm calculus. Scripturarũ etiã
authoritas eidẽ aſtipulat͛. Sed & ĩfenſiſſimi chr̃iani noĩs aduer
ſarij, huic plane ſuffragãt͛, qñ qdẽ ſuis libris teſtent͛ palam, ꝙ cę
teris abrogatis ueterib⁹ ſacrificijs, hoc ſolũ( qđ iuxta ritũ Mel
chiſedech in pane uinoqꝫ fit)uſu ꝑpetuo celebrabit͛. Sed hæc
in libello quẽ diximus fuſius & apertius continentur.

## Strophæ quædam & mẽdacia cauillicꝫ Lutherani deteguntur. Cap. VII

I NVnc igit͛ ſeptimo loco, quibus ſtrophis, mẽdaci
is, ſycophantijs, argumẽta Regia refellere cone
“ tur, expẽdemus. Inſimilat primo Regẽ unicam
“ rationẽ attuliſſe, nimiꝝ hanc. Si miſſa nõ eſſet o-
“ pus bonũ, laici nihil pro ea tribuerẽt clericis tꝑa-
lis bñficij. Nec hoc mẽdacio cõtentus tandẽ poſt multa cõui-
“ cia ſubdit. Memento lector, ab aſſertore Rege, nullã aliam af
“ ferri rationẽ pro miſſa ſua, q̃ iſtam. At utrũqꝫ profecto mẽda-
ciũ eſt, & ꝙ Rex hac ratione molitus fuerat probare miſſam